INA

Digitized by Google

Digitized by Google

PALATINA
L.112
Pal. L.112
855932
5. Ag.to 1699.

AUGUSTISSIMI IMPERATORIS LEOPOLDI

CÆSAREUM DIPLOMA, AC EDICTUM

Super renunciatione, & renunciationis approbatione, ac Ceſſione, & Translatione

MAGNI MAGISTERIJ

Ordinis Equeſtris Militaris Aureati Angelici Conſtantiniani

Sub Titulo, & auſpiciis

SANCTI MARTYRIS

G E O R G I I

AD FAVORES

SERENISSIMI DOMINI DUCIS

F R A N C I S C I

F A R N E S I I

D U C I S P A R M Æ, &c.

Ejuſque Deſcendentium,

A C

SERENISSIMÆ FARNESIÆ STIRPIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

LEOPOLDUS, Divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Charinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac Superioris, & Inferioris Sileſiæ, Vvirtembergæ, & Teckæ, Princeps Sveviæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris, & Inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum.

Agnoſcimus, & notum facimus tenore præſentium Univerſis, quod cum nobis vir Illuſtris Joannes Andreas Angelus Flavius Comnenus, Sacræ Angelicæ Auratæ Conſtantinianæ Militiæ, ſub titulo Sancti Georgii, & Regula Divi Baſilii, Magnus Magiſter humiliter expoſuerit, nihil ſibi ex per antiqua, & potentiſſima Comnenorum Familia tantumodò ſuperſtiti magis curæ, & cordi eſſe, quàm, ut Ordo Militaris Auratus Angelicus, qui à Divo quondam Conſtantino Magno Imperatore ex oblato divinitùs ipſi perviſum Lemmate: In hoc ſigno vinces: inſtitutus, ac poſtmodum ab Iſaacio Angelo Comneno, aliiſque deinceps Imperatoribus, nec non & Romanis Pontificibus auctus, & amplificatus ſub Regula, Divi Baſilii, & patrocinio, ſive tutela Sancti Georgii militat, cujuſque ſibi tanquam à dicto Iſaacio Angelo Comneno continuà non interrupta ſerię Deſcendentis jure ſucceſſionis, & ſanguinis Magnum Magiſterium competat, per injuriam temporum obſcuratus reſuſcitetur, atque ad priſtinum decus, & ſplendorem reducatur, ſicque inclyti iſtius Ordinis perennitati ſecutiùs conſulatur. Eumque in finem, cum id, ob fortunæ facultatumque anguſtias, tùm ob virium imbecillitatem, ac ætatem in ſenium jam vergentem, præſtare non poſſit, de clariſſimi Sanguinis Principe, tùm æſtimatione, tùm auctoritate ſpectabili, collabenti iſtius Ordinis moli ſuſtinendæ, idoneo cogitaſſe, qui titulos eidem Ordini adſcriptos re, ac ſplendore valeat cumulare, & amplificare, ac oblatis Deo optimo Maximo precibus, ſibi in mentem occurriſſe multifaria Illuſtriſſimæ Farneſiorum Familiæ, tàm in Eccleſiam, & Rempublicam Chriſtianam, quàm in ſemetipſum, dictumque Ordinem merita, & beneficia, nullumque digniorem ſibi viſum eſſe, in quem jura, facultates, exercitia, reliquæque ad dictum Ordinem ſpectantes prerogativæ transferri, dictumque Magiſterium ex jure Sanguinis, & Succeſſionis ſibi competens, reſignari poſſet, præterquam Sereniſſimum nunc Regnantem Parmæ, & Placentiæ Ducem Franciſcum Primum ex Illuſtriſſima Farneſiorum Familia Oriundum, atque in ſpem Maximorum facinorum florenti ætate creſcentem, non minus ampliſſimis facultatibus inſtructum, quàm generis Claritate, atque Heroicarum Virtutum Splendore, & generoſitate præfulgentem; demiſsè Nos rogando, ut non modo perficiendæ hujuſmodi translationis, & reſignationis facultatem ſibi impertiri; Sed, & prædicto Sereniſſimo Parmæ, & Placentiæ Duci Magnum illius Ordinis Magiſterium clementer deferre dignaremur.

Etſi igitur tùm vetera, tùm recentiora celeberimæ Farneſiorum Gentis, decora, ac in Eccleſiam, & Rempublicam Chriſtianam, Divoſq; olim Prædeceſſores Noſtros Romanorum Imperatores merita Hiſtoriarum monumentis luculenter confirmata, ità in occulis hominum refulgeant, ut ſupervacaneum videri poſſet eorum ſeriem hìc loci recenſere, pro noſtro tamen in Nobiliſſimam hanc familiam, tot nominibus nobis colligatam, ſingulari affectù recolere, tantumodò operæ pretium duximus Petrum ſecundum,

Digitized by Google

cundum, qui anno milleſimo nonageſimo nono Militiæ Præfectus, devictis ab Hoſtibus, vindicatas ditiones Eccleſiæ reſtituit. Ut, & Prudentium de Petro: Qui Militari fortitudine anno milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto acerrimi Propugnatoris Eccleſiæ libertatis ſibi nomen, & gloriam comparavit.

Tùm præclaros illos Farneſianos Duces, qui anno milleſimo ducenteſimo undecimo pro Eccleſia generosè ſteterunt; Eandemque ab hoſtiûs incurſionibus fortitèr defenderunt. Ranutium Petri de Prudentio filium, qui anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo tertio contumaces ditiones iterùm Romano Pontifici ſubjectas reddidit: Senſum Farneſium, qui anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundò Pontificii Imperii ſecuritati, & incolumitati contra Rebelles Tonſinos, & Amelinos proprium ſanguinem, ac vitam litavit, eidemque anno quinquageſimo quarto ſupra milleſimum ducenteſimum Ranutium prædictum, non minoris fortitudinis, ſed melioris fortunæ, Ducem ſubrogatum Amelianum Exercitum fregit Ditione Eccleſiaſtica Tudertinâ, ac Fulignatenſi Pontificiarum partium fautoribus reſtitutis.

Deindè Ranutium Ranutii ſenioris filium, cujus fidei credita fuit Urbani hujus nominis IV. Pontificis ſecuritas, contra Manfredum Siciliæ Regem armis excidium, & ruinam minitantem, cujus bellicam fortitudinem, tanquam validiſſimum agerem, Pontifex illius temporis Hoſtibus ſuis feliciter oppoſuit. Cujus Frater Nicolaus armorum robore abreptas Urbes legitimo Eccleſiæ dominatui iterùm parere coegit: uterque Ranutius autèm, & Nicolaus opem, & auxilium ad extrema redactis Pontificiis partibus præſtiterunt, atquè unà cum aliis hujus familiæ ſtrenuiſſimis Viris Eccleſiæ Pontificumq; incolumitati, & ſecuritati ſemper militarûnt, eo nomine Civitatum Pontificiarum propugnatores, tùm Nuntii, Vicarii, & Commiſſarii Apoſtolici renunciati.

Porrò in poſterorum fama adhuc ſuperſtites Angelum, Aloyſium, & Ferdinandum Farneſios, quorum primus tumultuantes factioſorum contra Eccleſiæ Principatum conatus penitùs repreſſit, alter Pauli Pontificis, hujus nominis ſecundi, juſſu, armorum Imperio compulit Rebelles Urbes iterùm in deditionem ſe ſe recipere: Poſtremus verò in Faventina obſidione urbem aggreſſus, mortem oppetiit, in poſteritatis fama æternum victurus.

Atquè inſuper Octavium, Margaretham, & Alexandrum Farneſiorum Duces, quorum ille in Italia, ſub Divo quondam Carolo Quinto Prædeceſſore Noſtro glorioſæ memoriæ, ſtrenuam, ac proficuam navavit operam: Ejus lectiſſima Conjux Margaretha in Belgio ſingularem ſuam prudentiam, & moderationem probavit: Eorum autem Filius Alexander Farneſius parentum gloriæ, & virtutis Nobiliſſimus Æmulator, ut reliqua ipſius heroica facinora prætereamus, poſitis in Navali pugna, Beatiſſimo Pio V. hortatore, à Chriſtianis Principibus contra Turcas ſuſcepta, primis militiæ fundamentis, & arrepto, cui vibrando adſueverat, prægrandi gladio in Hoſtilem Turcarum Triremem ſaltu ſe projecit, ac circumducto utraque manu ferro, latam per hoſtium ſtragem aperuit militibus ſuis viam, præda ingenti, cum victoria, potitus fuit.

Tùm denique alios Raynutios, & Odoardos Duces, qui laudatiſſimo Majorum ſuorum exemplo gentis decus, tùm præclaris facinoribus, tùm affinitatibus etiam Summorum Pontificum, atque Chriſtianorum Regum, ut & Sereniſſimum Magnorum Hetruriæ Ducum familiis contractis, non modo egregiè tutati ſunt, ſed & inter Majores, & potentiores Italiæ Principes habiti, deque Nobis, & Auguſta Domo noſtra nunquam non optimè meriti, acceptos à Majoribus ampliſſimos Status, & ditiones ad poſteros ſuos tranſmiſerunt.

Primum omnium verò Paulum hujus nominis tertium in æternam poſterorum memoriam iturum, magnum Eccleſiæ Propugnatorem, qui ſingulari

pru-

Digitized by Google

prudentia, Conſilio, Virtute, ſapientia Eccleſiæ navim procelloſis hæreſum fluctibus jactatam in ſecuritatis portum adduxit, præcipuè cum Sacræ Tridentinæ Synodi magnum opus Catholicæ Eccleſiæ maximè ſalutare promoviſſet. Quibus aliiſque tùm laudatorum, tùm aliorum Ducum egregiis factis, ità hæc Sereniſſima familia benè de Eccleſia Catholica merita fuit, ut Militiæ Eccleſiaſticæ Imperator Petrus Aloyſius creatus fuerit, & prædictus Octavius ejus filius ad Romæ Præfecturam evectus, perpetuique Sanctæ Eccleſiæ Vexilliferi ſplendidiſſimum munus Farneſiis Ducibus collatum, in Sereniſſimo Duce Franciſco Primo, nunc Regnante, & Summi Pontificii Innocentii XII. auctoritate, & clementia tantæ dignitatis prærogativa confirmata, & renovata.

Cumque præterea, ut nihil dicamus de arcta affinitate, quam modò dictus Sereniſſimus Dux, inſignis avitarum virtutum Sectator, Nobiſcum ex Matrimonio cum Sereniſſima Principe Dotothea Sophia, ex Sereniſſimis Palatinis Rheni oriunda, Auguſtæ Imperatricis dilectiſſimæ Conjugis noſtræ, ut & Sereniſſimarum, ac Potentiſſimarum Hiſpaniæ, & Luſitaniæ Reginarum Sorore inito, contraxit, non minus conſtantiſſimum, & hæreditarium, quod ipſe Dux Nobis, Auguſtæque Domui noſtræ indeſinenter probavit, ac etiam num probare non ceſſat, fidei, & obſervantiæ ſtudium, quàm opes potentia, Provinciarumque amplitudo, tùm ſpectata ipſius prudentia, rerumque bene gerendarum uſus ſingularem mereantur reflexionem: Nos antedictæ reſignationis neceſſitatem conſiderantes, atq; Imperatorio, & protectorio muneri, nec non Juriſdictioni noſtræ ſupremæ convenire exiſtimantes ejuſdem Inclyti Ordinis inſtaurationi, & conſervationi quovis modo conſulere, non poſſumus non laudare providam ſæpe nominati magni Magiſtri electionem, gratumque in Farneſios, & Sereniſſimum Parmæ, & Placentiæ Ducem animum perſuaſi, quippè ab ipſo, ut potè oriundo, ex Illuſtriſſima illa familia, quæ ſui genitoris bellatoribus, ac Ducibus ſtrenuè pugnantibus vita, & ſanguine Eccleſiam Catholicam propagavit, collapſum hunc Ordinem Chriſto Domino Noſtro authore, ſub auſpiciis Sancti Martyris Georgii ad Idololatriæ excidium, ad dictæ Eccleſiæ defenſionem, ad veræ Religionis propagationem inſtitutum reſtaurari, & amplificari poſſe.

Ac proindè motu proprio, ex certa ſcientia, animo benè deliberato, ac ſano Noſtrorum, & Sacri Imperii fidelium dilectorum accedente Conſilio, eaque, qua fungimur authoritate Cæſarea, & de ejuſdem plenitudine, tùm de Supremo dicti Ordinis ad nos devoluto, nobiſque competente Dominio, invocato Dei Omnipotentis nomine, à quo Principatus omnes, & dignitates promanant, prædicto Viro Illuſtri Joanni Andreæ Angelo Flavio Comneno, Sacræ Angelicæ auratæ Conſtantinianæ Militiæ, ſub titulo Sancti Georgii, & Regula Divi Baſilii, Magno Magiſtro facultatem transferendi, & reſignandi magnum iſtius Ordinis Magiſterium in præfatum Sereniſſimum Franciſcum Farneſium Parmæ, & Placentiæ Ducem, Principem noſtrum Chariſſimum non tantum conceſſerimus, & impertiti ſimus, prout hiſce clementer concedimus, & impertimur, verùm etiam ſi fortè interea temporis ejuſmodi translatio, & reſignatio ſubſecuta eſſet, eandem approbaverimus, laudaverimus, & confirmaverimus; prout hiſcè approbamus, laudamus, & confirmamus, quinimò ex eadem poteſtatis noſtræ plenitudine Magnum Ordinis illius Magiſterium omni quo fieri poteſt meliori modo, & forma ſæpe dicto Sereniſſimo Franciſco Primo, Parmæ, & Placentiæ Duci acceptanti, & conſentienti nobiſque propterea humillimè ſupplicanti, ejuſdemque legitimis deſcendentibus Filiis in infinitum, & his deficientibus (quod abſit:) Sereniſſimo Principi Primogenito Farneſiæ ſtirpis, donec Illuſtriſsimi hujus Sanguinis gloria vigebit omnem facultatem, Jus, authoritatem, poteſtatem, actionem in Magno Magiſtratu præfati Ordinis, & Militiæ, omniaque, & ſingula privilegia, prærogativas, exem-

ptiones,

ptiones, & gratias, vel conceſsiones quaſcunque, ſivè ab ipſo Iſaacio Angelo Comneno, ejuſdemque ſucceſſoribus, ſivè à Summis Pontificibus, aliiſque Romanorum Imperatoribus, & nobis metipſis eidem datas, factas, confirmatas tribuerimus, & tranſcripſerimus eademque in omnibus ſuis punctis, clauſulis, & articulis, perinde, ac ſi, de verbo, ad verbum omnia, & ſingula hic Loci inſerta, & comprehenſa eſſent, rata habuerimus, quemadmodum hiſce tribuimus, tranſcribimus, rata habemus, approbamus, & confirmamus,ità ut deinceps à Nobis, Noſtriſque in Sacro Imperio Succeſſoribus Romanorum Imperatoribus, ac Regibus, aliiſque quibuſcunque Ordinis Militaris aurati Angelici Magni Magiſtri perpetuò poſt hac prædicentur, appellentur, nominentur, & compellentur, non ſecus, ac ſi Magnum illud Magiſterium omniaque, & ſingula uti ſupra ab ipſomet Iſaacio Angelo Comneno in prædictos Farneſios translata eſſent.

Volentes, & hoc Edicto noſtro Cæſareo firmiter ſtatuentes quod prædictus Sereniſſimus Parmæ, & Placentiæ Dux omnibus, & ſingulis ad eundem Ordinem, ſivè Magnum ejuſdem Magiſterium pertinentibus Terris, bonis, Inſulis, ut & privilegiis, juribus, prærogativis, & Regalibus quocunque etiam nomine vocitentur, eodem quo hactenus dicti Ordinis Magni Magiſtri uſi, & gaviſi ſunt modo, tùm ipſe memoratus Ordo Sacer Militiæ Angelicæ Conſtantinianæ Sancti Georgii, ejuſdemque Equites omnibus illis prædictis, & nominatim hac quam peculiariter ipſis confirmamus gratia portandi nimirum omnis generis arma, tàm offenſioni, quàm defenſioni idonea perindè, ut alii Religioſorum Ordinum Equites ſub omnibus, & ſingulis nobis, & Sacro Imperio, mediatè vel immediatè ſubjectis Terris, Provinciis, & Ditionibus uti, frui, & gaudere debeat, & poſſit, pariterque debeant, & poſsint de poteſtatis noſtræ plenitudine, nemine omninò contradicente, quod poſtremum ità tamen intelligi volumus, ſi ipſo Ordo jam ante in poſſeſsione eorum ſit, & quatenus id nequè in præjudicium ſupremæ eminentiæ, & Regalium aliorumvè noſtrorum, vel alterius cujuſcunque jurium cedat. Cùm ſuperioritatem ſummam, confirmationemque de caſu, in caſum nobis, & Noſtris Succeſſoribus ſemper reſervatam, & inſuper velimus, ut Sanctæ Militiæ leges, Regulaque Sancti Baſilii in omnibus ritè, recteque obſervetur, atque Religioni S. Eccleſiæ Catholicæ nec non Nobis, & Succeſſoribus Noſtris in caſu neceſsitatis ad requiſitionem noſtram, prompta ſemper, fortique manu contra Infideles ſuccurratur, nec ulla magni momenti expeditio bellica, ſine prævia notificatione, & conſenſu Noſtro ſuſcipiatur.

Nulli egò omninò hominum liceat hoc noſtræ confirmationis, novæ conceſſionis, & gratiæ Decretum, quod optimo jure ſancitum eſt, infringere, aut ei quovis auſu temerario contraire. Si quis autem id attentare præſumpſerit, is præter Noſtram, & Sacri Imperii indignationem, graviſsimam mulctam quingentarum Marcarum auri puri fiſco, ſeù Ærario Noſtro Imperiali, omni ſpe veniæ ſublata applicandam ſe noverit ipſo facto incurriſſe.

Harum Teſtimonio litterarum, quarum tranſumptis à Magno dicti Ordinis Cancellario, aliavè quavis perſona in Eccleſiaſtica dignitate conſtituta ritè conſignatis, eandem, quam Originalibus, fidem haberi volumus: quæ manus noſtræ ſubſcriptione, & Bullæ noſtræ aureæ Typario munitæ dabantur in Civitate Noſtra Viennæ die quinta Auguſti Anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo nono, Regnorum noſtrorum, Romani quadrageſimo ſecundò, Hungarici quadrageſimo quintò, Boemici verò quadrageſimo tertiò.

Subſ. LEOPOLDUS &c.

Vidit Dominicus Andreas Comes à Kaunitz.

Ad mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.

Subſ. Lutzo Dolberg manu propria.

Regiſt. & collat. Rab. Herm de Bertram &c. Secr. & Ar.ai

Cum Bulla aurea è cordulis ex auro intextis pendente.

585082

Digitized by Google

Digitized by Google

PAL
L. 1

Digitized by Google